

CANCIANINI (Gian Domenico)

ODES (2012 vers)

Le texte donné ci-dessous est celui publié à Trieste, en 1970-1971, dans sa thèse, par Graziella Marino, numérisé par *Poeti d'Italia in lingua Latina*. A la lecture et à l'étude de sa métrique, il révèle un nombre très élevé de lacunes (non signalées dans l'édition numérisée), de bizarreries prosodiques et métriques. Partant du postulat que Cancianini était un poète savant autant qu'audacieux, nous avons essayé de démêler ce qui relève, dans les difficultés qu'il présente, du goût évident de l'auteur pour toutes les possibilités qu'offrait la métrique lyrique grecque (émondée plus tard par Horace) et de ce qui revient à une numérisation « à la hussarde », qui semble bien être de règle sur tous ces sites que l'on présente comme des sites de référence.

Il paraît presque certain, dans le cas présent, que le texte publié par Graziella Marino devait être accompagné - thèse oblige - d'un appareil critique important, indispensable pour la lecture intelligente de cette oeuvre. Mais le « pilote » de l'O.C.R. s'est contenté de cadrer la partie texte, économisant ainsi un long travail pour dissocier le texte du paratexte.

Le travail critique « en aveugle » que nous avons dû faire ne nous satisfait pas. Si un très improbable lecteur peut nous dire où il est possible de se procurer le travail de Graziella Marino, nous lui en serons très reconnaissant.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII LIBER ODARUM PRIMUS

AD PERILLUSTREM DOMINUM ERASMUM VALVASONUM, ILLUSTRIOREM MODO POST MORTEM ET PERPETUUM SUA IPSIUS VIRTUTE, FAMA ET SPLENDORE PERMANSURUM PERILLUSTRI DOMINO ERASMO VALVASONO TUNC VIVENTI DEDICATORIA. ODE PRIMA

O1_1	v.1	Musae perpetuum et dulce decus meae
	2	o Erasme bonis orte parentibus,
	3	claro, et nobilibus stemmate : sunt, quibus
	4	est in consiliis, ut sua dedicent
	5	tali scripta, viro, qui titulo satis
	6	obsuro decoris praeniteat face.
	7	Ipsos nos sequimur, nec minus Aedium
	8	structores etenim hi marmoreas struunt
	9	portas, quae arte nova, insignibus asperis
	10	convertant oculos praetereuntium
	11	in laudem artificisque, et domus inclitae.
	12	Huic Valvas operi, si placet, aureas
	13	Valvasone tui nominis applico.

14 Tu Regum propriam, tuque poeticam
 15 frondem fronte geris, tu populos regis.
 16 Tu doctum organica voce canis melos
 17 quod si, quam moderor, grata tibi est fides,
 18 nil ultra cupis : (haec) grata erit omnibus.

DE SE ERGA LUCRETIAM ODE SECUNDA

O1_2 v.1 Quo me caecus Amor suis
 2 transfixum jaculis eminus aureis
 3 quo me praecipitem vocat ?
 4 Non sic aerium mentis inops cito
 5 Haemum vel juga candida,
 6 nimbosae Rhodopes Baccha quatit pede
 7 ut nunc concitus evehor
 8 in vitae exitium : parce Deus, precor
 9 rursus parce, precor, Deus.
 10 Pennas alma parens non homini dedit
 11 sedes porrigitur loco
 12 abrupto, nebulas dissita in arduas.
 13 Quo via alitibus vagis,
 14 heu durum est aditus, Lux mea nobilis,
 15 hic sole occiduo creat
 16 ortum ; quin etiam clara meridiem.
 17 Quae si se proprius mihi
 18 sistat, det radios, seque simul volens,
 19 o me tunc ter, et amplius
 20 felicem : me alium tunc fatear Jovem.

IN OBITUM IACOBI FILII DOCTISSIMI
 ATQUE PROBISSIMI MARCI ANTONII FIDUCII. ODE TERTIA

O1_3 v.1 Audax ille, dolo qui petiit Polum
 2 et furtim rapuit particulam igneam
 3 luget nunc merito vertice Caucasi
 4 infelix sibi nascentia viscera.
 5 Morbos aut varios, et mala februm.
 6 Mortales patimur nos scelere illius.
 7 Luctum queis igitur non dolor excitet ?
 8 Ut natum accipient saxea pondera
 9 Fiduci obtegere, heu, moribus optimis
 10 ornatum juvenem, tam sibi conscium
 11 et recti, referens ut nitidum diem
 12 sol et praecipitans non videat parem.
 13 Num vivet genetrix, num pater amplius
 14 tanta in maestitia ? Vos placido in malis
 15 vestros respicitis lumine caelites,
 16 ut factum levius sit patientia ;
 17 nil mortis dubiae certius est via,
 18 haec nescit lacrymis flectere impia.

DE DIVA HIERONYMA COLUMNA. ODE QUARTA

O1_4 v.1 Certamus Pario non hic de marmore factam,
 2 aut Ephyreo ex aere Columnam
 3 carmine sublimi, dulcique attollere cantu,
 4 aeternae sacrareque Famae.
 5 Illa Volumna modis attollitur ardua nostris,
 6 quae Tibrim suffulcit ad amnem,
 7 quicquid Juno dedit, Pallas, Charitesque, Venusque
 8 et Veneris stirps alma, Cupido.

AD ACAPITUM SACERDOTE. ODE QUINTA

O1_5 v.1 Jam sat aurarum, pluviaeque nobis
 2 Haedus (in)fudit, satis et pavente
 3 accolas flumen nimium propinqua
 4 terruit unda.
 5 En fluit Torrens alias negatis
 6 viribus. Cernis, rigidas ut Ornos
 7 erutas volvit, Tuliasque prono
 8 discutit ictu ?
 9 Heu deest Pinus puerum voluptas,
 10 heu nemus flexum, positum sagaci
 11 ancipe, accentum temere insecutis
 12 funera turdis.
 13 Defluunt caelo nebulae madentes,
 14 nec tamen puri facies Olympi
 15 panditur terris. Tonat, et minatur
 16 ignibus aether.
 17 Obstrepunt venti, quatiuntque tures :
 18 non vides ullam virides movere
 19 arborem crines. Decus omne silvae
 20 abstulit auster.
 21 Voce Sylvanum querula locutum est,
 22 rupe senserunt ovium magistri,
 23 ardua huc fugit, metuens reverti
 24 saecula Pyrrhae.
 25 Eia age o Divis igitur Sacerdos
 26 grate, dulci, iram fide fac Deorum
 27 temperes. Tu hoc ni facies, nec alter
 28 gesserit ullus.

AD LEONARDUM CARGAM, OLIM EIUS DOCTOREM. ODE SEXTA

O1_6 v.1 O novem candor, decus et sororum,
 2 Carga, queis lymphas solido retexit
 3 Pegasus cornu feriens parentis
 4 ossa vetustae,
 5 in sinu quarum positus decenti,
 6 Delphicus qualis pater ipse suevit
 7 guttur exscalptis avidum frequenter
 8 proluis undis :
 9 quid prius laudum memorem tuarum ?
 10 Qua vel arguta resonem Camena

11 integram, puram, scelerisque vitam
 12 ingeniumque ?
 13 Hoc, latet quicquid Sophiae repostum,
 14 promissum cum doctis Heliconis antris :
 15 Graecia, et discit, Latium tuoque
 16 pendet ab ore.
 17 Hac per infames scopulos iturus
 18 tutus evadas, per et aesculosae
 19 Dauniae sylvas, tibi non timendus
 20 Janitor Orci.

GAUDIA NOBIS NON ESSE PERPETUA, ET MORTEM NULLA DEMUM POTISSIMA OPE
VITARI POSSE. ODE SEPTIMA

O1_7 v.1 Quem nam sic facilis perdere Mors viros
 2 heroem querulis non sine honoribus
 3 isto claudit in antro ?
 4 Qui sic flebiliter gemunt,
 5 spretis mundiciis ? Pro superum fidem :
 6 mutantur Superi, si liceat loqui.
 7 Tu nunc aurea sentis,
 8 tu nunc ferrea Numina.
 9 Ah quantum miseri denique sunt, quibus
 10 intentata favent principio Noti,
 11 nigri flamina longo
 12 exemplo ut patet omnibus.
 13 Ah, quemcumque vocant regna Proserpinae,
 14 illum non tabulae, non Paries sacer
 15 ostendit redivivum
 16 effugisse manus Deae.

AD BACCHUM. ODE OCTAVA

O1_8 v.1 Quem tu leni oculo vides
 2 cum primum ex utero matris init diem,
 3 o Lenae pater, tuo
 4 Thyrso deposito cum facie truci
 5 illum non litui et tubae,
 6 permixto aut sonitu bellua tympana,
 7 non fulgor juvat agminum,
 8 non leves galeae pacem amat et sapit
 9 Croesi condicionibus
 10 illum non moveam currere per freta,
 11 litus nec pede tangere
 12 externum ; scopulus quin solidus manet
 13 auri fluctibus haud suae
 14 matris dilacerat viscera sarculo,
 15 solis agricolis labor
 16 dignus, centimanum progenie fera.
 17 Numquam per juga montium
 18 nec per planitiem conspicitur vages ;
 19 umbra sub recubans meri
 20 exercet cyathos, hinc querimoniis,
 21 hinc curis, et aqua procul,

22 quam pejus refugit sanguine viperae.
 23 Sed quis carminibus modus ?
 24 Plenum muneribus, Bacche pater, tuis.
 25 Illum non tonitru Polus,
 26 quin nec terrificet fulmine Juppiter.

AD IOANNEM BAPTISTAM BLANCHUM. ODE NONA

O1_9 v.1 Vates Pindaricum carmen Horatius,
 2 et quicquid resonat carmine Pindarus
 3 umquam non morituro,
 4 miris laudibus evehat,
 5 Flaccum Parthenius tollat ad ardua,
 6 quae tangit viridi sidera vertice
 7 qualis lucidus Atlas
 8 sublimis columnen Poli.
 9 Hunc laudent alii tuque simul dedit
 10 cui dono Aonii in verticibus (patris)
 11 montis clarus Apollo
 12 cygni, cum cithara sonum.
 13 Nos te, qui niveum es totus in alitem
 14 mutatus, tenui dicere carmine
 15 conamur, premit altus
 16 quos praeter solitum stupor.

AD FAUSTUM CARGAM. ODE DECIMA

O1_10 v.1 Te vocat Urbs Patavi ? Linquntur, Carga, penates.
 2 Hac iter ad superos
 3 nec te distineant nebulae Junonis et imbres,
 4 queis madet usque solum ;
 5 omine namque isto constat te vertice posse
 6 astra ferire brevi.
 7 Formidas ? Comitem me velles ? Non tibi tali
 8 (crede) opus auxilio est :
 9 Pallas et alma Venus, Charitesque, novemque Sorores
 10 sunt satis, atque super.

AD PUEROS ET PUELLAS. ODE DECIMA PRIMA

O1_11 v.1 Nunc o cum senibus vos pueri Deum,
 2 vos purae juvenes matribus additae
 3 imo corde Mariam,
 4 summa et voce precamini,
 5 ut sint auxilio Christi acis fugent
 6 in noctes Erebi Tartareum canem.
 7 Unusquisque suprema
 8 Christum sollicitè prece
 9 tollent hi gelidum (quis dubitet ?) Metum aut
 10 rebus compositis, exitio aut rates
 11 sternentes Othomanas,
 12 quove illis libeat modo.

AD SELIN IMPERATOREM TURCARUM. ODE DECIMA SECUNDA

01_12 v.1 Quis te o deorum, quis furor impulit
 2 foedus paternum rumpere proelio
 3 temptator audax ? Quid Leonem
 4 immerito Venetum lacesti ?
 5 Caelestus alto consilio et potens,
 6 praestansque tanto robore, num fera
 7 sylvae videbatur ? Putasti
 8 posse sua huc spoliare pelle !
 9 Non qui virenti sub Nemees coma
 10 cervice fractus concidit, est Leo :
 11 qui distat illi, ceu juvenco
 12 sanguineus placido Lycaon.
 13 Quin si resurgat maximus Hercules,
 14 clavam timeret stringere dextera
 15 in praepotentem : pertimendum
 16 ungue recurvo, et hiante rictu
 17 vides, ut hostis per mare, per solum,
 18 et per sonantem se rapit aera
 19 te te requirens, annuente
 20 consilio Jovis et deorum ?
 21 Jam fulminantem dentibus excutit
 22 accensus ignem, jam pavido imminet
 23 arectus alitis suprema
 24 te ferus exagitat ruina.

ESSE BIBENDUM OB VENETAM VICTORIAM. ODE DECIMA TERTIA

01_13 v.1 At quis vetustum promere Caecubum
 2 spernit diota ? Nunc patere graves
 3 et hauriantur nunc bibacem
 4 Teutona me faciat voluptas,
 5 donec madenti lumina comprimens
 6 Morpheus suavem sensibus inferat
 7 oblivionem quid moraris ?
 8 Dulce merum puer huc ministra.
 9 Hostis deorum perpetuus Scythes,
 10 nosterque tinctum sanguine Thracio
 11 potavit aequor nos olenti
 12 vina decent saturata moscho.

AD SOMNUM. ODE DECIMA QUARTA

01_14 v.1 O, qui me inani ludis imagine,
 2 fuscis tenebris et caput et latas
 3 utrumque tectus, somne, noctes
 4 mitte mala specie carentes,
 5 sic te supinus propter aquae canam
 6 rivum strepentis, dicere pervicax
 7 quantum olim Ulyxes, te favente,
 8 cum socio potuisset uno.
 9 Tydide sumpto in Threicios dedit

10 pallentis Orci sedibus inferis.
 11 Rheso, et perempto, castra raptis
 12 vectus equis ad amica cessit.

AD ALBUM. ODE DECIMA QUINTA

01_15 v.1 Terris propinquo cur mihi cereas
 2 natura pennas ingenii dedit ?
 3 Cur ne voveris non Diones
 4 ala vehit per amoena Caeli ?
 5 Nam qualis udae Iros Phrygiae in jugis
 6 venator errans (sic placuit Jovi
 7 flavente praesignis capillo)
 8 aethera transiliisse fertur :
 9 cygnus supremum te super aera
 10 ferrem canorus, quem peramant Dei
 11 lauro coronandum, rosisque, o
 12 albe aliis melius canende.
 13 Exempla terrent multivolum Icari.
 14 Lauderis alto carmine ab optimis,
 15 quodcumque cantas atque dicis
 16 auspice Parthenii camena.

IN QUANDAM CUIUS NOMEN SILETUR. ODE DECIMA SEXTA

01_16 v.1 O matre turpi filia turpior,
 2 queis criminosis te lacerem modis
 3 digna Charybdi vorticosa,
 4 aut tremulis crepitare flammis ?
 5 Aes tam frequenti verbere non strepit
 6 lunae laboranti auxilium ferens,
 7 insana Bacchi non sacerdos
 8 sic geminat rigidos boatus :
 9 ut semper urgebo opprobriis feram,
 10 pontoque dictis asperioribus,
 11 ac ense torvi proeliantis,
 12 et Jove, cum sua tela mittit.
 13 Natura ab omni parte tulit sagax
 14 foedum, quod istam turpet imaginem :
 15 mores hyaenae fraudulentos,
 16 Niliaci lacrymasque nostri.
 17 Me justa bilis concitet asperum
 18 ad facta tandem : supplicium grave
 19 sis certa nostris perferendi
 20 e manibus meritum paratur.
 21 Fias licebit mitior omnibus,
 22 mutare laetis non volo, tristia,
 23 nec dicta vere destruantur
 24 crede animum mihi non amicum.

DE HOMINUM VITIIS ET DEORUM GENTILIUM. ODE DECIMA SEPTIMA

01_17 v.1 Jam nunc quid audax, quid fidibus parat

2 aptare Clio ? Quo nemore, aut specu,
 3 quo monte Musis dedicato
 4 sic mihi praemeditata venit ?
 5 Vos pulchra pictis gramina floribus,
 6 dumosa rupes, lauriferum nemus,
 7 aves canorae sentientis,
 8 quae recinam comitata plectro.
 9 Canto deorum flagitia et virum
 10 auditis ? Et di crimine non vacant,
 11 quamvis nitenti Nectar olim
 12 (fama tulit) biberint Olympo.
 13 O prisca quos, quos suspicit, et colit
 14 aetas : suprema ad sidera quos vehit :
 15 quos stulta convexi imminentis
 16 esse putat, dominosque Terrae :
 17 non qualis altus sit memoro pater,
 18 Saturnus arci quem Superum dedit
 19 (semper parentes sunt colendi),
 20 qui niveas sequitur puellas.
 21 Binus calenti non satis Euhio est
 22 ortus. Renasci nunc quoque, sed Jovis
 23 deberet ipso de cerebro ;
 24 mens etenim furiata vexat
 25 rixis amicos, bella ciens mero,
 26 tradit protervis, duro et Acinaci.
 27 Contundit illos et cruentat.
 28 Talibus illecebris pacatur.
 29 Descendit astris saepe Cupidinum
 30 lasciva sanctis Mater oloribus.
 31 Mutatque complexus deorum,
 32 aethereis satiata furtis.
 33 Vulcane fracto nunc pede claudica,
 34 nunc disce, Pallas quid valeat ferox
 35 contra hos salaces qui pudorem
 36 virginibus rapere expetiscunt
 37 se nil moventem, paene datum neci
 38 vexit phaselus per mare Lemnius
 39 longe Sicanos ad Cyclopas,
 40 exul ubi strepit officina
 41 in non virili non sibi tradita
 42 cultu trahebat pollice vellera
 43 prognatus Alcmenae minacis
 44 non dominae metuebat ictus ?
 45 Unum reponam de egregiis deae
 46 factis Dianae, quae in Niobes genus
 47 cum fratre telis saeviente
 48 haud facinus rigidum patravit.
 49 Hoc sola tantum saevitiae dedit
 50 exemplar Actaeon vagus invios
 51 saltus pererrans sorte prava
 52 pervenit ad laticam latentem.
 53 Irata tunc, heu, sylvipotens dea,
 54 quod se abluentem viderit, illico
 55 cervum in fugacem vertit illum,
 56 ut canibus propriis voretur.
 57 Tangenda, nunc sunt rustica numina :

58 Nymphaeque, Faunisque, ac Satyri truces,
 59 Silvani et, o vos, vos, ferarum
 60 quisque vocet merito sodales.
 61 Fratris miselli sanguine Romulus
 62 gaudet profusus Martigenam manum
 63 est oti amator Numa, mendax.
 64 Hannibalem metuo et Catonem.
 65 Albus decentum flos juvenum et decus
 66 caelo vel ipsi suaviter (ex) alto
 67 laudes meretur solus omnes,
 68 tam nimia integritate floret.
 69 Sed institutum desero cur meum ?
 70 Cur laudo demum ? Nunc cito corrigam,
 71 laudes amici sic recantans
 72 quae ultra modum, est moderanda virtus.

AD RAPHAELLEM CYLLENIIUM. ODE DECIMA OCTAVA

01_18 v.1 Raphael virtute nitens parentis
 2 voce qui docta juvenum audientum
 3 evehis mentes, viridi locasque in
 4 vertice Pindi.
 5 Degener non es ; genitore natus,
 6 quo magis nullum sophia refertum
 7 cernit Argois, Latiisve in oris
 8 pulcher Apollo.
 9 Es tui magnum, decus, et tuorum,
 10 optimus cultae fidicen Italiae,
 11 aut canis Martis fera bella, sive
 12 dulcia furta.
 13 Te meae semper resonet Camenae.
 14 Usque Cylleni meditabor, ut te
 15 laudibus tollam super astra, vates
 16 sim licet imus.

IN FUNUS FAUSTI CARGAE. ODE DECIMA NONA

01_19 v.1 Descende Pindo tristia lugubri
 2 complexa ramo tempora, Pieri
 3 regina : nigrae nunc cupressi
 4 quippe decent, querulumque carmen.
 5 Tecum sorores sint aliae novem,
 6 adsitis omnes et fleat invicem
 7 vestrum peremptum quaeque alumnum,
 8 qui ante diem cohibetur urna.
 9 Num vera cerno ? Num lacrimabilem
 10 me ludit error ? Prospicio juga
 11 montis relinqui tum hic Camenae.
 12 Calliope movet, ecce plectrum
 13 dum pulsat unco pectine barbiton,
 14 stant expetentes carmina dicere
 15 alterna Musae nec jocosos
 16 mente modos meditantur aegra.

CALLIOPE

17 Cuncta, heu, scientis progenies sumus
 18 Jovis, Deaque hinc noscimus omnia.
 19 Maeremus at nunc cuncta nosse
 20 plura loqui vetat ipse maeror.

CLIO

21 Cervo fugaci vita volucrior
 22 fugit bonorum non ita palmulis
 23 instructa Pinus linteisque,
 24 remigio et Borea it secundo.

ERATO.

25 Eheu severae quanta protervitas
 26 innata morti : quos necat invidia
 27 faustum Camenis sic amatum
 28 sustulit ah subitam rapinam.

THALIA

29 Tali ulla nusquam flore nitet plaga
 30 narcissus aequae haud conspicuus suis
 31 floret rubetis atque dumis,
 32 ut decori fuit ille Pindo.

TERPHSICORE

33 Ter functus octo, queis super additur
 34 vix unus, annis, moenia Brixiae
 35 linquit dolentis, nec penates
 36 morte obita patrios revisit

EUTERPE

37 excussit arces montibus insitas
 38 ipsosque montes Terra tremens, gravi
 39 commota leto promerentis
 40 vivere perpetuo, haud perire.

MELPOMENE

41 Melo suavi gradia prosumus
 42 hoc ille quid non aethere turbido
 43 deproeliantes mulsit auras
 44 atque feras ; nequeuntque mortem.

POLYMNIA

45 Perivit Orbi, non periit Polo.
 46 Secum recessit vivida faustitas.
 47 O Terra, quando te videbit
 48 Sol properans hilarem quadrigis...

URANIA

49 Vivit supernis astra perambulans
 50 tollit supremum carminibus Jovem.
 51 Praesente Fausto gaudet Aether,
 52 Aethere quo fruitur beatus.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII LIBER ODARUM SECUNDUS
PERILLUSTRI DOMINO ERASMO VALVASONO

QUO FACTO MORA ALBA REPARATA SINT. ODE PRIMA

O2_1 v.1 Phoebus jocosae me citharae modis
2 aptare jussit dulcia, non prius
3 vulgata terris, facta Martis
4 percupidi, et Veneris benignae
5 Ninci ad sepulchrum, quo Babylonii
6 venere amantes alite lugubri,
7 morum sub atram Mars, Venusque
8 conveniunt, fore se hic putantes.
9 Tutos ab altis judiciis Poli
10 visuque ; nam quae suspicio, locus
11 si luctuosus ? Quis videret
12 desuper hos foliis opacis ?
13 Vix nuda Cypris se posuit solo
14 herbaque moli, cum femora illius
15 lascivus inter pulchra mavors
16 se insinuans, subito est solutus
17 fluxere statim semina candida
18 radicem ad imam cernitur arboris
19 hinc fetus albus, dulciores
20 nunc avidis epulae puellis.

DE RIPA IUDAEORUM. ODE SECUNDA

O2_2 v.1 Vides ruinam, quam Capides sibi,
2 tellusque ducit ? Cernis ut in dies
3 sese peredit nil rosarum
4 ripa ferens neque gramenullum ?
5 Haec ceteris, haec sola virentibus
6 adjuncta ripis excidio riget.
7 Hoc exsecrata est nempe ripa,
8 quos tegit, ob cineres iniquos
9 Judaea proles, perdita victima
10 Plutonis atri ; dicitur abolita
11 in constitutis hic sepulchris
12 temporibus veterum meorum.
13 Res Christianis esse fidem monet
14 vero perennem discimus alteram
15 falso ruentem Rex supremus
16 talia, non ego sum locutus.

STULTISSIMOS ESSE RUSTICOS QUI SE RUSTICOS APPELLARI NOLUNT. ODE TERTIA

O2_3 v.1 Hoc saepe mecum rura perambulans
2 excogitabam, cum mihi et obvius,
3 duros capillus pileatus,

4 ruricola adveniebat Urbem :
 5 quae causa nam sit, numne superbia,
 6 an captio mentis mage rustico
 7 ut cum se amet sic, et mala Urbi
 8 sic cupiat, patrium malignus
 9 audire nomen semper abhorreat
 10 suum : "Quid istud ? Non ego rusticus ",
 11 clamans suprema voce, vultu
 12 terribili, et digito minaci.
 13 Donec revinctus piniferum caput
 14 mi fronde acuta praediolum meum
 15 pertranseunti Faunus inquit :
 16 "Quod meditare, scio Colonus
 17 est Colei quam magnum onus, et grave
 18 qui rura ; ruris quique putat boni
 19 nomen protervum. Rusticum me
 20 quisque Deum vocet atque adoret."

AD VALERIUM CARBONEM, TANTUM NOMINE COMPATREM. ODE QUARTA

O2_4 v.1 Candide ancillae mihi non pudendus
 2 est amor dulcis : mea Gallichina
 3 me tenet vinctum, teneatque semper
 4 compede multa :
 5 crinibus flavis, oculoque amico,
 6 lubrico vultu, niveis papillis,
 7 et jocis blandis, nitido ac lepore,
 8 speque secunda.
 9 Lilio prorsus similis venusto,
 10 membra dum celat viridi colore :
 11 caerulo circum posito est amictu
 12 aurea Phoebe.
 13 Talis Atridae Priameia virgo,
 14 talis Ajaci placuit Tecmessa,
 15 capta Briseis rapuitque forma
 16 talis Achillem.
 17 Ut tuam Carbo superat Melincam,
 18 compatrem sic te faciam per illam
 19 Gallichina, urens, mihi Gallichina
 20 pectore tota est.

AD GASPAREM CARGAM. ODE QUINTA

O2_5 v.1 Mens scandit alte, nec tamen arduum
 2 tangis per ullos ingenii gradus,
 3 quid, Carga, sit, quo tam repente
 4 totus amor tua corda fugit.
 5 Et semper istud tu nimium stupes
 6 in somnis, Haemo Thyas ut algido,
 7 matrisque Divorum Sacerdos,
 8 pinifera cum agitantur Ida.
 9 Si me obsecrabis plus gemina vice,
 10 arcana dicam : solus ego scio
 11 sic esse jurabis per arcum,

12 perque Dei aligeri pharetram.
 13 Ille, ille (opinor, quem referam tenes)
 14 gigas minutus, corpore languido,
 15 qui affectat alti regna caeli,
 16 seque putat nitidis amari
 17 passim puellis, ille Paphi Deam,
 18 cum matre et omnes ille Cupidines
 19 pellexit ad se, sic putavit,
 20 ludibrium Veneri, atque ludus.
 21 Liquisset aliam, prona Venus Cypron,
 22 Cnidon, Cythere, et Cycladas et mare,
 23 quo nata, complexusque Martis,
 24 ne foret hoc procul a Theatro.

PASTOREM CUCULLUM IN AVEM. ODE SEXTA

O2_6 v.1 Lucis amoenis qua liquido strepens
 2 it Tiliaventum, et propero gradu,
 3 juxta Spilimbergi salictum
 4 pastor erat speciosus olim,
 5 dictus Cucullus, cum sociis suis
 6 ludens juvenci gramina dum et boves
 7 pascunt propinque quaeritatur,
 8 fructice nam medio latebat
 9 frustra pererrant et tamen huc jactit
 10 huc ad sodales : gaudia percipit
 11 et tanta, quantum voce crebra
 12 verberat in silua vagantes.
 13 Tunc e virenti semifer arbuto
 14 miratus ipsum ; prosilit et rapit.
 15 Ac vim tulisset, si Tonantis
 16 conjugis auxilium, et sororis
 17 non invocasset versus in alitem
 18 puer salacis Capripedis manus
 19 effugit unusquisque plumas
 20 obstupet ad se itidem vocantis.

AD ANTAEUM. ODE SEPTIMA

O2_7 v.1 Huc huc canora voce nemus sonat
 2 Anthae pulchra a Virgine nobili :
 3 dilecte, praecidit Cucullus,
 4 tempora conjugii futura
 5 prius petitus. Jam siluit : roga.
 6 Namque is quot huc huc concinerit tibi,
 7 lapsis tot annis, tu maritus
 8 quippe novus thalamo jacebis
 9 uxori adhaerens ; plurima cui dabis
 10 vultu venusto, et pectore basia,
 11 desideranti quinta demum
 12 munera Acidaliae propinquae
 13 hujusque caelebs, dicere vult avis
 14 divina, vives, carmina parvula,
 15 at magna verum praecinendo.

AD CUPIDINEM. ODE OCTAVA

O2_8 v.1 Nec te Cupido cura tenet mei
 2 nec militantem praesidio juvas,
 3 arcus sonantis, quo omne cernis,
 4 omne feris : valeant ocelli.
 5 Si signa amantis militiae fero,
 6 atque uro, tu non sic Libyae seges
 7 matura campis, Aetnaque igni
 8 assiduo caleat perustus :
 9 tandem puellae duritiam asperae,
 10 qua colliquesco, cantibus in mare
 11 transferto surdis, ac in hostem
 12 dux pharetram vidua sagittis ;
 13 hujus triumpho gloria nobilis
 14 nam spectat ad te tota volucris
 15 taedis deorsum tu refringes :
 16 sursum ego mox strenue retundam.

AD VALERIUM FANNIUM. ODE NONA

O2_9 v.1 Vulgi profana non tuum scientia
 2 rectis retorquet a viis,
 3 amice Fanni, cursum : amas pecuniam,
 4 virtute sed multo minus
 5 spectanda virtus est, bonum a diis datum,
 6 dignos polo beans viros.
 7 Opes, amicos, studia, sublimes gradus,
 8 praebetque vitam a funere.
 9 At stulta turba (proh Dei, boni Dei)
 10 ciens cachinnos disputat
 11 cum intelligentibus placet multum, loqui
 12 audire tales belluas.

SE OTIOSUM, DONEC VIVAT, NON FORE, ET SE BIS A BERNARDINO LUCATELLO
 MEDICO PHYSICO A MORTE ABREPTUM. ODE DECIMA

O2_10 v.1 Pulsare donec linqua erit chordas potens
 2 vocalis haec suae Chelys
 3 (haec pecten est vivus, nec ulla egens manu,
 4 nam sponte se movens, sonat),
 5 dum suppetet vox, spiritusque artus reget
 6 infusus a magno Deo,
 7 ut per laborem nomen hic relinquerem :
 8 ignave somne et otium,
 9 abeste cum cum sodalibus vestris, jocis
 10 inertibus, vos, Aeolidae
 11 laborem aditae, qui prece, omnibusque vos
 12 votis vocat quantum potest,
 13 numquam quietus, scilicet frustra locans
 14 saxum illico volubile.
 15 Bis Sisyphus sub Tartaro visus mihi est
 16 bis Lucatellus extulit.

DE SUO CARLESIO MUSCIO. ODE DECIMA PRIMA

O2_11 v.1 Quis tam profanus, tam gelidus Deum
 2 cultor suaves Carlesii modos,
 3 Musasque sacras non frequentant
 4 aut refugit pia templa surdus ?
 5 Non obstinatae gentibus asperis,
 6 non tigridi atrae, aut alitibus feris
 7 aureo fuerunt, dum remotis
 8 rupibus, et siluis canebat
 9 Orpheus, canora qui cithara sonans
 10 montes movebat, flumina carmine
 11 sistebat : ipsum quin Trifaucem
 12 reddidit, Eumenidesque mites.
 13 Hic alter Orpheus haec eadem facit :
 14 trahens profanis e regionibus
 15 ad clara divum tecta plures
 16 praevious Eurydices sequentes.

DECENTISSIMAM VIRGINEM HOSPES ALLOQUITUR. ODE DECIMA SECUNDA

O2_12 v.1 Qua sors apposuit me tibi candida
 2 accensum juvenem sideribus tuis
 3 nunc, cum fit niger aether,
 4 et sol oceanum subit ?
 5 At qui non alium credimus hospitem
 6 suspirare tuis virgo caloribus
 7 aequae et pectora aduri,
 8 tanta et sollicitum fide.
 9 Ut pastor viridi gramine pascui
 10 gaudet forte videns perspicuam rosam,
 11 mox se flore beatum
 12 decerpto leviter, putat :
 13 sic vultu niveo laetitiam allicis,
 14 et nigris oculis plus nimio placet
 15 tu formosior, omni
 16 pulchra, tuque beatior.
 17 Cui te conjugii copula junxerit ?
 18 Cui fida haec superi gaudia destinant ?
 19 Si mortalia curant,
 20 certe hoc conjugium est deis
 21 curae. Sed quid ago ? Cur tibi sum morae ?
 22 Invitisne tenes teque parentibus ?
 23 Jam nunc claude supernos
 24 postes (me miserum), et vale.

IN QUENDAM REMIGEM GRAMMATISTAM. ODE DECIMA TERTIA

O2_13 v.1 Nonnulla nobis pax sit, aut discordia
 2 o absque fama et nomine
 3 tecum, velut si mortuus recondidit
 4 tuo lateres pulvere :

5 non est enim cum mortuis negotium,
 6 aut otium viventibus.
 7 Verendus est profanus hic Neptunius,
 8 caesus flagellis undique ?
 9 Superbus est inscitia ? Sic aucupans
 10 falsos honores ambulat ?
 11 O tempora, o mores : hic et foede improba
 12 lingua docet, boni inscius.
 13 Boni potest quid imbibi audientibus,
 14 hoc hoc magistero liberum ?

AD LUCRETIIUM ATAVUM. ODE DECIMA QUARTA

O2_14 v.1 Quid mare, quid terram, quid caelum atque aethera frustra
 2 aemulus Architae usque remensus,
 3 te similem, ut praestes Lucreti, adniteris illi
 4 per numeros, mentemque fatigas ?
 5 Hoc tibi necquicquam prodest, me iudice veri ;
 6 sed nocet, est labor, est morituro.
 7 Laetum carpe diem praesenti credulus horae ;
 8 namque ubi perventum est, quo Ariodans,
 9 et Faustus, quamdam dilecti ; ut vita, sodales
 10 telluris tunc corpore fuso
 11 augustum, heu, spatium metimur lumine cassi
 12 jamque instans mortis premet umbra.

OB ABSENTIAM LYCES, QVAE AD PATREM IN SANCTI VIVI OPPIDO AEGROTANTEM
SE CONTULERAT. ODE DECIMA QUINTA

O2_15 v.1 Heu desideriiis est metus et dolor !
 2 Quis hoc quae meditor, quaeve gemo brevi
 3 versu, scire potest ? Dimidium Lyces
 4 mentis pars animae est meae.
 5 Nam, quamvis procul incredibili modo
 6 longinquas videt hic sollicitudines,
 7 nosterque ex animo cernitur ipsius
 8 nobis vis ea mutua est.
 9 Ergo cum lacrimis colloquar, intimas
 10 adversoque Deo mille feram preces
 11 qui sancto Genius praesidet oppido,
 12 unde id nomen habet sibi.
 13 Vitam vite (precor) ne dare denega
 14 aegroto capiti, jam incolumen Lyce
 15 partem redde meae, sic ego mox diis
 16 cunctis te anteferam Lyra.

IN NUPTIAS MISERANDAE LYCES. ODE DECIMA SEXTA

O2_16 v.1 Non monstruosum, non memorabile
 2 factum, et per Orbis dicier ultimas
 3 res digna partes, trans Britannos,
 4 Massagetas, Arabasque et Indos ?
 5 Ultraque multum ? Qua est aliud solum :

6 famaе volanti si omnia litora
 7 extrema fas est atque adire
 8 antipodum vario ore terras.
 9 Musae potentes, vos melioribus
 10 pennis volucrum tendite in aera ;
 11 et jam bifformes, hanc sonoris
 12 cum fidibus rapidam secutae,
 13 implete mundum buccina non satis :
 14 neque ipsa linguis diva loquacior
 15 cunctis ad istum sola tantum
 16 sufficeret, vaga fama, casum.
 17 Non sunt timendorum fera proelia
 18 tractanda regum, (militias quoque)
 19 formidolosi nec tumultus
 20 virgine pro placita duobus
 21 et non, quod ullis attulerit dies
 22 priscis, canendum dicite quod Lyce
 23 est juncta Cyрто : mira, quando est
 24 connubium sine amore ab ipsis
 25 factum. Maritus turpior omnibus,
 26 qui sunt, fuerunt, qui et venient : Lyces,
 27 vultu puellae sic nitenti,
 28 luminibus potuit placere !
 29 Num, prominentes quem scopuli undique
 30 tergo rigenti et pectore muniunt,
 31 telis cupido fregerit, si
 32 non valeat penetrare fulmen
 33 Jovis trisulcum ? Quo manus ignea
 34 gentes et urbes concutit, et metum
 35 intendit imis atque summis,
 36 quo alta Ceraunia contremiscunt
 37 scindente nubes principio algidas,
 38 mox quicquid obstat disjiciente, ceu
 39 Alpes propinquas cum fragore
 40 horrisono, ignibus et coruscis
 41 restat, capellis innocui lupi
 42 jungantur, ursi sint sociabiles
 43 una et juvencae, gestientes
 44 nubere disparili marito.

IN FALSUM MALEDICUM. ODE DECIMA SEPTIMA

O2_17 v.1 Pater nefasto te genuit die,
 2 aut nocte dira, dum vaga Colchicis
 3 magus venenis Olympo
 4 astra trahit, tumulisque sagae
 5 imis vagantur murmure, quo tremit
 6 tellus, quo aperto Cerberus ostio
 7 longe recedit, supernas
 8 unde animae veniunt ad auras,
 9 saevis coactae carminibus suos
 10 artus solutos sumere, ceu prius :
 11 et somniantes tremendis
 12 visibus, et vigiles molestant.
 13 Abominato e gurgite non sacro

14 e fonte, natus primitias aquae
 15 udis tulisti capillis,
 16 Tisiphone fuit et sacerdos :
 17 multum malignae quae tibi viperae
 18 linguam rubentem sanguine noxio
 19 cum sibilis viperinis
 20 imposuit, propria revulsa.

AD HENRICUM POLITIANUM. ODE DECIMA OCTAVA

O2_18 v.1 Mi triplex tantum facit annus, ut non
 2 lustra sint sex continue peracta.
 3 Prodit in lucem dominante mensis
 4 principe Jano,
 5 mater hinc nomen, pater indiditque,
 6 forte ne credas mihi perperam esse
 7 inditum Jani, dominique nomen,
 8 Pollitiane.
 9 Verba, quae dico magis obstupenda,
 10 crede, sunt his, quae audieras in urbe
 11 Bergomi ob Janos celebri per orbem, et
 12 callida dicta.
 13 Sed ferus Sciron, malus et Procrustes,
 14 Cerberus vellem potiusque dici,
 15 ipse quin Orcus (mea mens ita est) quam
 16 nomine Janus.
 17 Jam meos ortus bene noscis aevum
 18 nomina, et causas agendum sobrine,
 19 me vocans, clama ; secet aut secundum
 20 aethera nomen.

DE HISTRICE AD AMICUM. ODE DECIMA NONA

O2_19 v.1 Infensus ulli, ni ratio movet,
 2 amice non sis, sis potius ferens
 3 injuriarum, quam te iniquis
 4 constituas scelerare factis.
 5 Delicta reges ipsi etiam luunt
 6 castigat illos nempe Diespiter,
 7 qui ulcisci ab alta sede Caeli
 8 facta virum scelerosa novit ;
 9 nunc mi canendus perfidus Istriae
 10 Istrix tyrannus, dicitur Istria
 11 a quo, cruentum qui benigna
 12 sub specie Hospitium parabat
 13 pungi dolentes funibus hospites
 14 stratos ligabat suppositis toris
 15 exhauriebat sic cruorem,
 16 atque animis spoliabat artus
 17 lustrabat olim Caelicolum pater
 18 terras patentem accipit is Jovem
 19 auroque et ostro, sed cubilis
 20 struxerat insidias doloso.
 21 Spinis eburnas assimilaverat

22 se Caelitum Rex non humilem virum :
 23 finxitque nomen, quo esset omnis
 24 suspicio Jovis hinc remota.
 25 Flexo renatis sideribus Polo
 26 passim micabat nox nitido aethere,
 27 somnusque palpebris inhaerens
 28 languidulas quatiebat alas.
 29 Ut praeparati stragula contigit
 30 lecti Deorum maximus : en prope
 31 mutatur Istrix, sponte in ipsum
 32 cuspidibus subito refixis.
 33 Horrens relinquit limina regia,
 34 cedens suilla cum facie avia
 35 in lustra, spinarum in molossos
 36 missilium jaculator hostes.
 37 Sylvae potentis denique laeserat
 38 canes : quid ultra ? Figitur in solo
 39 transfixus a telo Dianae.
 40 Sic manet et jaculo peremptus.
 41 Hinc pinus arbor, quae foliis virens
 42 pungit rotundis, fertur acuminans
 43 sese per auras, fulmen alti
 44 usque Jovis metuens caducum.

QUERITUR DE MORTE HENRICI UNICI FRATRIS. ODE VICESIMA

O2_20 v.1 Palmis supinis ah quoties poli
 2 regem precatus sum et madidis genis,
 3 dum frater aegrotus laborat,
 4 pro vetita misero salute :
 5 fas mi dolenti promere, quae sacris
 6 audita servo. Tu petito meum
 7 quaecumque Patrem, cuncta nati
 8 nomine praecipuo dabuntur,
 9 sed juxta recto proveniunt Deo.
 10 Quid ? Non rogavi justa, parem dies
 11 cui nulla dudum procreavit
 12 integritate, fideque claro ?
 13 Quo Musa tendis ? Jam querulis modis
 14 impone finem Melpomene preces,
 15 non dispararunt Euri in auras.
 16 Vera salus (procul hinc) Olympo.

ODE VICESIMA PRIMA

O2_21 v.1 Caliginosos devia per specus
 2 mentis vagatur, vis mea, montium
 3 quaerens latebras nigriores,
 4 carminibus, citharaeque, noctes.
 5 Sol mutat umbras : pellitur et dies
 6 nocte et die nox : nil stabile hic vides.
 7 Sursum, deorsum, cuncta volvit

8 nunc mihi, nunc tibi sors maligna.
 9 Fortuna nullo firma negotio
 10 magnis timore, pauperibus struit
 11 spes, prata florent vere multis
 12 floribus et variis coloris.
 13 Jacet Molossus, stat vigilis Lacon.
 14 Juvenca ludit gramine libere :
 15 tauro propinquo nil timetur.
 16 Consilium sapiens ministrat
 17 caelantur atro non mihi sidera.
 18 Nocturna caelo cum liquidus nitet
 19 aer ; nec ullis sunt diurno
 20 tempore, si aspiciunt tenebrae.
 21 Imaginoso non speculo omnia
 22 possunt referri se inspicientibus.
 23 Quam difficulter multa, sed plus
 24 difficile animum est intueri.
 25 Loquor scienti : quae loquor et scio.
 26 Parvam per Urbem parva mali, satis
 27 it magna fama et non videtur
 28 quod mediis geritur capillis.

PAULUM PELLICIUM MEDICUM PHISICUM. ODE VICESIMA SECUNDA

O2_22 v.1 Vel quod ex aegris tibi causa morbi
 2 pellitur membris, tua Musa blanda et
 3 pellicit mentes hominum ad supremae
 4 laudis amorem ;
 5 alter Amphion, novus atque Chiron,
 6 pellici, exponis bene, quod dedere
 7 nomen antiquo generi tuorum
 8 praescia fata.
 9 Ut monet Phoebus, loquar ipsa fata,
 10 diique caelestes, quibus omne praesens
 11 tempus est, gentes itidemque nostrae
 12 orbe futurae :
 13 at tui tantis animi beati
 14 dotibus, totque egregiis vocavi
 15 rebus olim illos voluere priscos
 16 nuncque minores.
 17 Arte defunctos medica sepulchris
 18 evocas, ducis silices canendo,
 19 aureo plectro potis est morari
 20 flumina et Euros.
 21 Siste te contra nebulam tonantem
 22 invidum, nullo trepidans tumultu
 23 decidunt caelo, fleviuntque numquam
 24 fulmina lauros.

IN OBITUM IULIANI GOSELINI ODE VICESIMA TERTIA

O2_23 v.1 Invida cur perennes
 2 mors viros sic persequeris tollere ? Cur apricis
 3 funereo atra morsu

4 e locis auferis tumulando solide immerentes ?
 5 Cur tibi Julianus,
 6 dic fera o Mors, est Goselinus Stygias ad aulas
 7 raptus imago magna !
 8 Nec preces, nec tot lacrimae illum potuere Ibero
 9 sistere Regi, et Orbi ?
 10 Quo fides ? Rara integritas ? Quo illa abiit suavis
 11 vox moribunda Cycni ?
 12 Occidit, certe occidit hoc corpore : carmen autem, et
 13 inclita fama tanti
 14 vatis est numquam interitura hinc querimoniae, hinc sint
 15 (tam) procul haud viriles
 16 epulatus. Pars melior possidet alta Caelum.

ODE VICESIMA QUARTA

O2_24 v.1 Praevius en pesti ; solis civilibus ortus,
 2 se morbus exercet. Quis a tali
 3 illuvie est tutus, maculis, atroque veneno ?
 4 Quis non gelat metu ? Quis horrore
 5 non tremit ut frondes, alte quassantibus austris ?
 6 Ne se, vel illos, quos amat, tabes,
 7 invadat, corrumpat, sternat, detque sepulchris
 8 at pauper se (hinc) disce perverse
 9 jurisconsulte et iudex injuste et inique
 10 mercator, usque et usque qui insistis
 11 fraudibus, ut male parto sis copiosior aere),
 12 sunt pauperes tuti. Hoc vigil cerne : et desine
 13 consiliis et judiciis et avara
 14 jam merce te inquinare. Divina
 15 pharmaca te doceo. Si vis persistere sanus,
 16 te corrige et Deum time iratum.

AD ERONAM PERFIDAM ET INSATIABILEM MERETRICEM. ODE VICESIMA QUINTA

O2_25 v.1 Erona, qui te noverit
 2 et protinus non fugerit,
 3 hunc esse perditissimum
 4 et se ipsum amare non puto :
 5 vel esse stolidissimum,
 6 odisse et omnes Gratias.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII. LIBER ODARUM TERTIUS
PERILLUSTRI DOMINO ERASMO VALVASONIO

DE BACCHO. ODE PRIMA

03_1 v.1 Cratere pleno ad carmina me vocat,
2 qui est vatam amator, vinipotens deus :
3 cui fons coronatur corymbis,
4 per digitos fluit uva pressa.
5 Lymphae, solutum connubiis, senex,
6 infansve vinum, vel juvenilibus
7 pollens in horis, vim suavem
8 fert subito, violatque curas.
9 Flavus est eidem continue aureus
10 nitor : rubenti perpetuo rubor :
11 omne et per aevum candicanti.
12 Candor inest sua cuique forma
13 mansura semper, ut Semeleis
14 viget colorem scis quem habet in genis,
15 ac fronte liber ? Quo videntur,
16 mista simul tria dicta vina.
17 Equi et volucres. Pegaseum bibant
18 fontem. Lyaeus, non alius liquor,
19 expellat usto siccitatem.
20 Jamque hilaret mea corda Bacchus.

AD QUEMDAM QUI SCORTUM HABUERAT. ODE SECUNDA

03_2 v.1 Febriculosae non simile hoc ovi
2 scortum videbas ? Non scabie putre ?
3 Non et propinque quae indicabat
4 calvitium tibi mox futuram ?
5 Qualis nivali, cum Borea furit,
6 ilex videtur vertice in Ismari
7 decussa frondentes honores,
8 aut foliis viduata quercus
9 annosa : talis lena colo trahens
10 filum, sedebat vertice cui coma
11 non ulla ; quin nullus capillus ;
12 nulla generis ineratque pinna
13 signetur albis ille nigerrimus
14 dies lapillis. Quis tibi sic potens
15 divum redonavit salutem,
16 incolumi remanente pluma ?

DE PRAEGNANTIBUS MULIERIBUS. ODE TERTIA

03_3 v.1 Indicta prisca carmina vatibus
2 scituque digna, nunc age, nunc lyra
3 exprome mecum : quae patenti
4 aure, bibat sibi quaeque nupta.
5 Vulgusque praesens non procul arceo.

6 Audite cunctis Virgoque nubilis
 7 praediscat, ut cum gestet alvo
 8 mox tumida juvenis mariti
 9 semen redactum in membra memor sciet,
 10 et continentes tunc habeat manus.
 11 Vitabit haec sic permanentem
 12 usque notam paritura, gnatis.
 13 Rerum est onustae dira cupiditas
 14 desiderat seu fluminis, aut maris
 15 magnae parentisve, arborisve ab-
 16 -sumere quid placitum ex alumniis.
 17 Quod dico, verum credite : nam fuit.
 18 Spectatus est in (mi patria) foro
 19 Juli, cui injusta in fronte signa
 20 noctuae erant et arundo visci.
 21 Fetae voravit, non dubium, omnia haec
 22 matris voluntas ; quae tetigit sibi
 23 partem illam, et in frontem puellus
 24 ventre latens memorata traxit.
 25 Sunt somniantes, qui medici putant
 26 ex arte causam tangere : somnia
 27 dicuntque certa, nescientes
 28 crimina Adae esse vetusta, et Evae.
 29 Sublatus, error morte ab Iosua
 30 letumque quamvis, vult tamen hoc Deus
 31 miro indicari teste pomum,
 32 eum, animae maculamque nostrae.

ODE QUARTA

O3_4 v.1 Cur me sic refugis Lydia, ut obvios
 2 dentes si aspiceres et rabiem canis ?
 3 Tandem pone timorem
 4 vano non opus est metu.
 5 Hostis non ego sum : tu quoque dilige.
 6 Non est, cur timeas blanditias, jocos,
 7 complexusque suaves,
 8 divae munera Cypriae
 9 tempestiva viro te mihi subice
 10 aequans munia, me non fuge, dum licet.
 11 Exemplum cape : mater
 12 dic, et succubuit tua ?

AD IOANNEM DOMINICUM SALOMONIUM. ODE QUINTA

O3_5 v.1 Non nostrum laeta vice nubem mentis est fugare,
 2 at pressa in imbrem solvitur perennem.
 3 Usque magis crescunt lacrimae, nam tristior(que sensus)
 4 aequae me maeret ? Testor astra, nullus.
 5 Tempus credebam foret, ut medicina jam dolori :
 6 doloris ardens est cor officina.
 7 Jam nisi tu Salomoni, ni Paulinus ac amicus,
 8 ambo potentes suscitare sensus
 9 defunctis hilares, vestra recreabilis Camena,

10 abibo vita. Discet hinc juvenus
 11 fervida (ego) qualis fuerim, sed frigide ipsa amabit
 12 nupsit Lyce, qua mortuus tepebo.

UNDE PRIMA ORIGO BURGI. ODE SEXTA

03_6 v.1 Implebo flatu non ego tibiam
 2 testudinem nec nunc digitis (meis),
 3 pulsabo plectro, nec silenti
 4 pecten adest citharae paratus.
 5 Verum, quae in agris crescit, arundine
 6 cantabo secta. Haec sit mihi barbitos
 7 plectrumque nam primordia ejus,
 8 et segetem celebrabo rubram.
 9 Huic ergo vestrae sint patulae sono
 10 aures, remotis obicibus vagae
 11 mentis jam adeste hic aure, mente.
 12 Ecce nova, en memoranda canto.
 13 Quid, o, quid o nam concipitur nefas
 14 hoc majus ? Aegrotos jugulaverat
 15 Sphaptus parentes, in cubili
 16 cum traherent animam exituram
 17 Sphaptus tacendus, si scelus impium
 18 patrasset, omnes post obitum, ut foret
 19 vivus per annos, qualis ille
 20 igne ferox Ephesi in Dianam.
 21 Includi in antro jam culeo merens
 22 inter furentum bella animalium
 23 dividicatur parricida.
 24 Fama volat properans ad imos.
 25 Poenas luentes qua Phlegeton fluens
 26 flammis coercet, corrigit aspere
 27 et vis sororum, quae flagellis
 28 insonat, exagitans colubros.
 29 Sursum ipsa tendit Thisiphone horrida,
 30 venitque, ut illum noscat, ad inferos
 31 mox puniendum. Volvit unda
 32 impositum, cruciatur ipse
 33 invisus Divis, ut caput extulit
 34 auris supernis : lumina, sol videns
 35 compressit arte, quo omnis orbis
 36 insolitis stupuit tenebris.
 37 Nulla herba saevis inde fuit virens
 38 calcata plantis dirae Acherontiae
 39 frustra relictis taedet Orci,
 40 tarda ubi non valet hunc videre.
 41 More et pigentis dum fricat unguibus
 42 caput recurvis, hinc paleae cadunt,
 43 quiddam et movens se crure parvo,
 44 spurcitie genitum cruenta.
 45 Hoc canna sursit semine, quam vocant
 46 surgum Coloni, peniculum ardue
 47 gestans, acuta pejor hasta,
 48 et mage quam scabies, molestans.

AD FABIIUM PAULINUM. ODE SEPTIMA

03_7 v.1 Fabi cur doleam, meque memor Lyces
 2 angam perpetua sollicitudine,
 3 nil est : nec querulos ad Citharam modos
 4 aptabo miser amplius.
 5 Jam tu non elegis, nec Salomonius
 6 Etrusca veniet mi auxilio fide.
 7 Vestro consilio carminibus dato,
 8 cura liber eo gravi :
 9 et vita geminis debeo vatibus.
 10 Me non Threicia dulcisonans lyra
 11 Orpheus, vix etiam cantus Apollinis
 12 juvisset lacrimabilem.
 13 Cyrto juncta suo nunc valeat Lyce
 14 subsidens scopulis, queis premitur gemens
 15 telluris, juvenem ceu gravat ignea
 16 moles Trinacriae insulae.

AMANTES IN PAPHLAGONES. ODE OCTAVA

03_8 v.1 At nos quid uris persequens ultra modum,
 2 contraque jus, maris genus
 3 tumultuosi spuma quin salis ? Preces
 4 valent nec adversus feram ?
 5 Arcum sonantem nam Cupidinis manu
 6 tu aptas, sagittas dirigis,
 7 non ille caecus aliger, deus puer,
 8 privatus a te lumine,
 9 telis tui ne plumbeis adulteri
 10 sentire possint taedia
 11 et vis, puellae, quas amamus maxime,
 12 sint tam protervo pectore ?
 13 Perstet voluntas : has amemus dummodo
 14 flagremus in te iniqua odiis.
 15 Vix haecce prodit turba conquerentium
 16 Paphlagonum, cum sua
 17 statim volarunt urbe, dempta imagine,
 18 et voce, sed non patrio
 19 quo nomine et vocantur hoc in tempore :
 20 necem petunt ab ignibus.

SE AB AMORE FRAXILLAE EXPEDIRI NON POSSE : HAEC SUB NOMINE FRAXINI,
 VELUT LAURA SUB LAURI INTELLIGATUR. ODE NONA

03_9 v.1 Mecum sub umbra et tegmine Fraxini,
 2 dilecta qua non Laurus erat magis,
 3 ejus revolvo saepe nomen,
 4 et lacrimis, fidibusque canto.
 5 Frangit protervo me monitu prior
 6 accentus : et sic discrucior. Latet
 7 mortale vulnus pectore imo :
 8 nec morior, nec ut ante vivo.

9 Frangor propinquus nescio quis sonat,
 10 ire hinc volenti haud sufficiunt pedes.
 11 Eheu, quid ergo ? Ceu Caystri
 12 languo olor, moribundus ales.

AD DEUM OPTIMUM MAXIMUM PRO SALUTE VENETA. ODE DECIMA

03_10 v.1 Corrupta fletu lumina, quem pius
 2 dolor cadentum et dira movet lues,
 3 prostratus atollo potenti
 4 cum precibus tibi, summe Rector.
 5 Hoc destituti stant Veneti Patres
 6 tui tenentes filii imaginem
 7 gestu : et precantur te salutem,
 8 te veniam, assidueque pacem.
 9 At turbo morbi crescit et insolens
 10 senesque justos et miserabilem
 11 tollit juventam : jam Columnae
 12 imperii timeo ruinam.
 13 Quid illa prodest religio et fides,
 14 rectique cultus ? Ah Deus, ah vide :
 15 effusa, per Natum, evagantis
 16 tam rabide lege lora pestis.

AD HADRIANUM POLITIANUM IURISC. AVUNCULUM. ODE DECIMA PRIMA

03_11 v.1 Caelebs quid ergo ? Quid mihi consili
 2 habere possim ? Num Venerem sequar
 3 silvis relictis ? Num Dianae
 4 vivere continuabo vitam ?
 5 Res cum periclo est utraque ; nam dea
 6 est quaeque, quisquis se applicet alteri
 7 infensa semper : me hinc Adonis
 8 casus et Hyppoliti, hinc me adurget
 9 heu dira mens, heu funera tristia
 10 immissa pulchros in juvenes, aper
 11 ut scidit illum dente iniquo,
 12 hoc lacero ut maduere currus,
 13 sed facta scis haec praesidium reis,
 14 o grande maestis, o Utini decus,
 15 Forique Juli, lux serena
 16 justitiae nebulis latenti.
 17 Quaeras (pater te dicere sentio
 18 secunde), quaeras, quod medium sciet
 19 utrique adhaere. Carus aequae
 20 sic fueris Veneri et Dianae.
 21 Quid si inter ambas connubialia
 22 sint jura partes ? Nil timeo amplius
 23 hoc ipse tuto matri Amoris,
 24 hoc etiam poteroque Phoebe
 25 servire castus consilio, et salax.
 26 Rides, et alte me in faciem inspicias
 27 vis vera dicam ? Me puellae
 28 urit amor nimium decentis.

DE AMOENITATE PATRII LOCI. ODE DECIMA SECUNDA

03_12 v.1 Elata pulchri solis ab exitu,
 2 quando exit ad nos luce fugans sua
 3 stellas et Auroram relicto
 4 ante diem revocat cubili
 5 frustra. Fugit nam praevia per polum
 6 alte rotundum, Sol ruit insequens,
 7 hanc donec annosum ad maritum
 8 circuito pepulit profundo.
 9 Ast illa rursus (non bene convenit
 10 jungi puellam cum vetulo viro)
 11 fugit : sonoro garrientes
 12 murmure aves male facta vident.
 13 Urbs clara terno stat Spilimbergia
 14 elata colle. Vos charites eam
 15 vos condidistis cui ipsa cedunt,
 16 Thessala sic celebrata Tempe.
 17 Subsedit almo gramine pasuum,
 18 et lata longe planities soli
 19 inclusa ripis usque quaque
 20 nos juvat aeriis videntes.
 21 Delectat hic nos piniferum nemus,
 22 udum salictum, glarea fluminis,
 23 vitrumque labens cum susurro,
 24 aura frequens aviumque cantus.
 25 Non tauriformis, sed volucris gerens
 26 ramosa cervi cornuo, labitur
 27 torrens pererrans, limpidisque,
 28 fertur aquis sine lege currens.
 29 Plerumque vidi, vidi ego Naiadas
 30 jactare lymphis bracchia candida,
 31 artusque nudos sic movere
 32 ut fluvio invideam beato.
 33 Annis beatus possidet omnia.
 34 Lasciviens quae pectora turgida
 35 contrectat undis ? Nec recedit
 36 a femore, a nitidoque tergo.
 37 Tunc obstupescunt fluminis incolae
 38 pisces carentes vocibus ac prope
 39 volare gaudet mergus, illis
 40 quid resonans modulante lingua.
 41 Fauni at salaces per siluam suas
 42 nymphas sequuntur. Dum strepitant pede,
 43 hinc phasianus, turdus illinc
 44 tollitur et lepores fugantur.
 45 Contra Occidentem quid referam situs ?
 46 Versus Triones atque meridiem ?
 47 Aequata Colli plana tellus
 48 fundit opes, hominumque victum
 49 Eleusim atrae flava Proserpinae
 50 mater relinquens attulit huc gradum
 51 spicasque tendens cum racemis
 52 deseruit Bromiusque Thebas,

53 Latmium vagantem quin etiam his locis
 54 stertisse amoenis sub Jove amabili
 55 dicunt, soporatumque in herba
 56 plusque alibi placuisse Lunae.
 57 Saltem fuisses, o Endymion vigil
 58 partim, illa furtim cum tibi basia
 59 dabantur, ipsam vel tulisset
 60 hanc speciem tibi imago somni ;
 61 utroque pacto tu quoque dulciter
 62 nam bassiasses, o mihi si mea
 63 jam me reclinanti sopore
 64 suaviolum fera Lyda jungat.

AD HORATIUM ROSITUM. ODE DECIMA TERTIA

O3_13 v.1 Jam tempus illud, sidera quo micant
 2 infixi caelo lumine languido
 3 cum albescit aer, surgit aura,
 4 graminibus cecidere rores.
 5 Rosite, credas : tunc mihi vitio
 6 fuit. Stupesco, totus et horreo
 7 hanc dum revolvo, qualis hirtus
 8 horret aper canibus propinquis
 9 sive in remotis Chaoniae jugis
 10 seu Maenali sub quercubus horridi
 11 circumvenitur : linque curas,
 12 linque forum, precor, ipsum et audi
 13 patrone dulcis. Principio audio
 14 vocem gementis : mox strepitus venit.
 15 Pedum putabam : sed lacerti in-
 16 -versum hominem rigidum ferebant ;
 17 Concussa magno mens tremuit metu
 18 ut nota vidi, pallida, mortua
 19 praepostere ora astare terrae
 20 aethera ad astriferumque cura.
 21 "At at quid istud ? Quid video ? Miser ?
 22 Quod prodidi te, sic vagor ut vides."
 23 Nec plura dixit : meque fugit
 24 in tenues resolutus auras.
 25 Dedit me adhuc (dis te per eam rogo
 26 diserte causam tutor et intime
 27 amice amorem), degit ille
 28 improbus, et mihi sic dolosus,
 29 tricosus, injustus, sine pectore
 30 pejorque quo vis nequitiis dato ?
 31 Ille, ille erat vel si ipse vivit
 32 post obitum est species futuri.

DE VULCANO ET MARTE. ODE DECIMA QUARTA

O3_14 v.1 Si forte claudus, nec sine cornibus
 2 hic est maritus, nescius, aut sciens,
 3 condiscat exemplum : videbit
 4 cum nimia utilitate damnum.

5 Exemplar istud non hominum, at Deum,
 6 Deumque, quorum non humile est genus.
 7 Si adulterantur Caelites, cur
 8 vos homines male sana punit ?
 9 Viros secutus mulciber haud fuit :
 10 non ille Martem conjuge cum sua
 11 sub rete captum longe ab armis
 12 depositis furibundus urens,
 13 ambos vel acer pondere mallei
 14 gravis refrigens : sed superis eos
 15 monstrare gaudens ; vel pepercit
 16 temporibus, pavidisque tergi.
 17 Risus qui Olympi sedibus aureis ?
 18 Gradivus autem bile tumens fremit
 19 se esse visum totum inermem,
 20 implicitam, et Venerem foventem.
 21 Talis colubram masculus implicans,
 22 exceptus ictu non leviter, sonat
 23 linguis trisulcis, lumine ardet,
 24 fit tumidus rabie, veneno.
 25 Injuriam non bellipotens tulit
 26 Mavors inultam, cum fuit his dolis
 27 tandem expeditus, liberante
 28 concilio vario Deorum.
 29 Nam claudicando dum fugitat faber,
 30 mucrone velox Mars sequitur caput
 31 truncasset illi, tempore apto
 32 crus nisi (sors voluit) reclinans
 33 vitasset altum, qui capitis gravi
 34 ruebat, ictum ; cornua verticis
 35 sunt secta tantum, decidere
 36 quae ante pedes operosa claudi.
 37 Vulcanus ex his, ceu nitido e vitro
 38 pavor peractum donat adultero
 39 sic mulsit hostem, gratus ille
 40 cornua nobiliore fixit.

DE CANIBUS. ODE DECIMA QUINTA

03_15 v.1 Quae fabuloso carmine concinunt
 2 vates priores, quae resonans lyra
 3 mendacia aegri : furta Martis
 4 Mulciber explicuisse solem.
 5 Audite verum : non ego inania
 6 dicam sonoro, credite, barbito.
 7 Res clara, sertis : quae et videtur
 8 et canibus quam odiosa durat
 9 sed scite primum, hoc nomine dicier
 10 Vulcanum, ob illud, quod sibi vult Canem
 11 sic antecedit claudicantem
 12 pervigil assidue Molossus.
 13 Ex officina dum it cubitum Faber
 14 lassus strepenti : praevius en comes
 15 armis patentem cernit, arcis
 16 suppositam et Venerem in cubili

17 Martem putavit (credere sic volo)
 18 inferre mortem tunc Dominae etiam
 19 quo illum subantem dente, stringit
 20 ac separat, dominoque pandit.
 21 Distracto ab ipsa excidet adultero
 22 (et) maritatur candida Lemnio :
 23 nodo tenaci jussit omnes
 24 inde canes misere coire.
 25 Ut fuste duro turba procax eos
 26 laxisque multis non sine risibus
 27 divellat adversos, et ipsos
 28 deserat implicitos voluptas.
 29 Non ergo Apollo dulcia, sed canis
 30 furta indicavit. Discite, discite
 31 canes fideles, hosque habere,
 32 conjugibus vitreis dicati.

IN NUPTIIS ILBII ET GLICERAE. ODE DECIMA SEXTA

03_16 v.1 Formosam Glyceram duxerat Ilbii
 2 versutus juvenis, tunc citharae sonant
 3 parsim lumina clarant.
 4 Plauduntur choreae pede.
 5 Post haec se adpositas laute, hilares ferunt
 6 mensas ; plus hilarat cena, merum, joci,
 7 quaedam facta novis sunt
 8 munera edenda jugalibus.
 9 Hoc tantum referam, quod memorabile est.
 10 Donum sponsum agit. Dat Glycerae suae
 11 tostum vite Columbium,
 12 quando avis est Veneris salax
 13 coxas nupta, caput, collaque dat viro,
 14 et mandit reliquum, quod tenet alitis.
 15 Ad lectum hora jacendi
 16 mox vocat : in thalamos eunt,
 17 simplex sponsa toro. Cur ita ? Clamitat,
 18 Non sic credideram. Munera reddimus,
 19 inquit, vestra, maritus :
 20 polla, caput, femora, at sile.

IN MALIGNUM. ODE DECIMA SEPTIMA

03_17 v.1 O invidie, o qui crure falcato ambulas
 2 introrsus, o gradu movens,
 3 te te appello, o garrule, o levis senex
 4 semper novi quid afferens :
 5 o et qui aromatum officinis incubas
 6 dies per omnes, o macer,
 7 pascens edulia inter illa e saccharo
 8 visu appetitum patrium :
 9 Cur me silentem provocas de te loqui, et
 10 me armas iambis acribus ?
 11 Archilochi ut arcum tendo nunc : ut spicula
 12 in te apto tincta toxico

13 jam te domo eicio cadaver obrutum
 14 omnis cloacae sordibus,
 15 in cuncta flumina Orbi et stagna et maria
 16 quae infamiam non abluent.
 17 Sol lucet, et non lucet, et lucet tua
 18 quid blacterat malignitas !
 19 Leno puellarum, quid hic, illic strepis
 20 o inaniter me vellicans ?
 21 Quid illud est, si dixerim quondam jocans
 22 inter sodales, aevaue
 23 Sarcenium, cum nubibus simillimis
 24 obductus esset Juppiter,
 25 frugi colori hujusce, sarcenum vocans ?
 26 At parce, parce, te precor ;
 27 nam corrigam, cum purus aer, inquiens :
 28 est tempus haud sarcenium.
 29 Phoebus jocosae, ne scelus, ne mordica
 30 obex probata vatibus.
 31 Quin hanc jucundus et gravis laudat tuus,
 32 quem non mereris, compater,
 33 legum peritus doctor et historicus,
 34 virtute, amicis, vi potens.
 35 I nunc, tuos et villicos, quae scis (bene)
 36 luna imminente proximos
 37 artare, et agros, et movere limites.
 38 I nunc male in malam crucem
 39 vel, te reforma, et integer tandem redi
 40 o nobilis tam ignobilis.

AD AMICUM. ODE DECIMA OCTAVA

03_18 v.1 Noscere si te vis, cui es notus jurgia dicas :
 2 sic te, sic tua crimina nosces.
 3 Hoc ego praeceptum teneo, exhibeoque probatum :
 4 nam virtus, se noscere, prima.
 5 Unicuique duplex gestatur mantica collo,
 6 anterior quae est, posteriorque.
 7 Hac sunt errores proprii, illa sunt alieni.
 8 Cernimus hos, non cernimus illos.
 9 Me parvum dicant, iracundum, taciturnum,
 10 multum propositique tenacem :
 11 dum magna enitar, juste irascar, mihi
 12 non sileat, me indignaque vitem.

MORTUOS NON ESSE DEFLENDOS. ODE DECIMA NONA

03_19 v.1 At cur tot lacrimae, tot gemitus, tot querimoniae,
 2 si non est aliquis, Persephone quem fugiat nigra ?
 3 Cunctos illa rapit restituens impia neminem :
 4 hoc laudanda tamen, quod nimium procida dispares
 5 aequat, sorte prior. Non humilem quisquis homo siet,
 6 ullum jure vocem, dum geritur mortuus arduo :
 7 non celsum, tumulo dum positus clauditur infime.

AD AERIS ET LUCIS PRAESIDEM IUNONEM LUCINAM IN CORNUM FURACEM
EIVSQUE FURES. ODE VICESIMA

O3_20 v.1 Diva, quae curas oculos proborum,
2 en facit pravus tibi vota Cornus,
3 orbis est dextro, sit et hic sinistro
4 lumina casus.
5 Ne eruat fixos lapides ab agris,
6 destruat saepes nimium dolosus,
7 nostra nec furtim Cerere et Lyaeo
8 exuat arva.
9 Si preces umquam tibi magna Juno
10 attuli, fac ut quoque nati et uxor
11 lumina amittant cito ne parentur
12 pabula corvis.

AD AUGUSTISSIMAM IMPERATRICEM MARIAM AUSTRIACAM. ODE VICESIMA PRIMA

O3_21 v.1 O magna Quinti filia Caroli
2 o Imperatrix maxima maximi :
3 Liani uxor, o ac Imperantis
4 Rodulphi genetrix saevi,
5 o Ferdinandi non humilis nurus,
6 o celsa Mundum qui et regit alterum
7 soror Philippi, o Principumque
8 tot clarum decus inclitum :
9 dum jam relictam nobili ab Austria
10 ad regna magnae tendis Iberiae,
11 non Lusitanis digna tantum,
12 sed mundis dominarier :
13 audire non me sed libeat Deam
14 in me loquentem, quae diademate
15 caput coronata est nitenti,
16 summi Calliope Jovis.
17 Regina salve, nam maris et soli
18 caelique rector, cura tui, Deus
19 te vult perennem, te et beare,
20 Fortunae super Insulas.
21 Quicumque longe est occiduo aequore,
22 propius honorem Caesarea tua
23 afflante majestate divum,
24 et corde et genibus colat.
25 Vireta pendant se Hesperidum : Draco,
26 alter renatus excubitor Draco,
27 caput reclinet, non sopitus,
28 sed te sic venerans, vigil.
29 Sol lustrat omnes undique lumine
30 terras, et Orbem circuitu inspicit.
31 Nil ille cernit sanctius te
32 et te nil sapientius.
33 Te semper anteit, cum ingrederis, boni
34 spes certa magni, spes manibus gerens
35 ramos virentes, te et sequuntur
36 nuda pectora Gratiae.
37 Tu cum resistis, firma tenet gradus
38 Astraea justos : non Pietas movet

39 adjuncta gressus : prisca tecum
 40 constat aurea saecula.
 41 Euge, quid aurum, quid Tagus aurifer
 42 fulvis arenis Hesperiam ultimam
 43 ditans, nisi illi viva Gemma
 44 gemmis tu pretiosior ?
 45 Ergo inseraris praeradians decus
 46 claris coronis, quae capiti micant
 47 fratris, renidet Caelum ut astris,
 48 Atlanti decus imminet.
 49 Tu pace jungis corda potentium
 50 disjuncta Regum, tu populos feros
 51 nutu coerces : tu es Maria,
 52 tu sexum superans tuum.
 53 Quae plectra nostro pectore ? Quae lyrae ?
 54 Quae mens ? Furor quis ? Non capio furens
 55 tantum Camenae Numen intus
 56 miris me exagitans modis.

AD HECTOREM NOBILEM SPILIMBERGENSEM DE ORIGINE LICTORUM.
 ODE VICESIMA SECUNDA

03_22 v.1 Invisa cunctis progenies bonis,
 2 invisam cunctis progenies malis
 3 pestis, pernicies, dedecus ultimum
 4 captrix carnificis manus,
 5 olim unde primam cogit originem
 6 inusitata vis recinam lyra,
 7 atque instans precibus numne ego polluam
 8 hac foeda illuvie fidem ?
 9 At sorde nulla polluitur nitor
 10 intaminati purus Apollinis.
 11 O Hector, juvenum nobilium decus,
 12 ergo audi : expediam brevi.
 13 Tam liberatis denique Phinei
 14 mensis volucres Tartareae incolae
 15 obscenae Strophadum se ad propriam (domum)
 16 per caecum aera deferunt.
 17 lasciviens tunc limine in horrido
 18 Orci Celenon Cerberus occupat
 19 intrantem, et veretro tergemino Canis.
 20 O cum Harpya rabide coit
 21 in ripa Averni, haec ova parit tria,
 22 foveatque ad amnem tegmine lurido
 23 alarum, dum ab eis post aliquot dies
 24 proles exiit impia.
 25 Prolem protervam tempora provehunt
 26 in pejus, Ombros, Smogerus, Ybrias
 27 sunt illi gemini : prima satellitum
 28 gens uncis manibus ferox.
 29 Quam fraudolentam, sanguineam, efferam
 30 perferre Pluto non potuit suo
 31 regno. Ob nequitias a Barathro exsulat,
 32 et nos hoc patimur genus ?

AD ANDREAM CHIOCHIUM MEDICUM PHYSICUM ET POETAM VERONENSEM.
ODE VICESIMA TERTIA

03_23 v.1 Jurarem Chiochi per sacra Deliae
2 arcana et Cereris et per Apollinis
3 lauros et tripodas numen et Euhii,
4 jurarem medicam perque scientiam,
5 qua claudis rigidi limina Taenari,
6 et gressus revocas deproperantium
7 ad ditis tenebras regnaque tristia
8 nil gratum sine te, nil mihi amabile,
9 nil gratum sine me, nil tibi amabile.
10 Nam sic perspicuus noster amor micat,
11 ut non sic radiet splendidus aethere
12 noctis stelliferae nuntius Hesperus,
13 cum purus glaciet flumina Juppiter.
14 Fundata est stabili Pyramis in base,
15 haec mentis solidae vis bene mutua,
16 quam non invidiae dira protervitas,
17 non aurum violens, non fuga temporum,
18 non mors, Eumenides, nec quatiat metus,
19 non et cuncta potens ipsa necessitas.
20 Hac est Pirithoi, famaue Thesei
21 vivens : vivit adhuc nomine Pylades,
22 Orestemque premit non taciturnitas.
23 Hac omni celebrer tempore pythias,
24 et Damon fugiunt publica funera,
25 spirantque unanimes. Sic quoque nos Dea
26 non umquam moriamur Polyhymnia.

DE VALENTINO FOELIER FRATE CAPUCINO. ODE VICESIMA QUARTA

03_24 v.1 Delapso caelo verba, corde et intimo
2 educta qualis ejicit,
3 alto ille Foelier fulminans templi toro,
4 dum veritatem praedicat,
5 laenire saevas possit ut tigres docens,
6 nec non leones efferos,
7 mites in agnos et lupos convertere,
8 et viperis acerrima
9 venena demere : at Spelimbergum feris
10 intaminatum istis caret.
11 Parcant maligni, qui obstrepunt, mendaciis
12 hic veritas et caritas.
13 O moribus caelestibus nimis Valens,
14 et nobili facundia,
15 felixque certe contionator, nimis.
16 Discensus ut tuus dolet :
17 te en prosequens lacrimis vale, clamat, vale
18 commota tota Civitas.
19 Et quo stupescat, laude te ad Polum vehunt
20 iambica ipsa carmina.

IN MISERABILE FUNUS NOBILISSIMAE ET PUDICISSIMAE MARGARITAE.
ODE VICESIMA QUINTA

03_25 v.1 Imago, qualem Praxiteles neque
2 formavit umquam (credite) Phidias,
3 uterque clarus, seu deorum
4 ponere, sive hominum figuras.
5 Imago diris mortua sensibus,
6 sed viva divis, quae placuit Deo
7 sic mente pura, ceu decenti
8 more viris, nitidaque forma.
9 Caelesti imago e rore (quid altius
10 diviniusve ? Pygmalion tuae
11 cedat) furenti est a marito,
12 et furiis male fracta ferro.
13 Scelus nefandum, moreque Thracio
14 heu, perpetratum : dicat ut impius,
15 (si mente sanus) sponsus ipse
16 se omnigenas meruisse poenas.

AD FONTES UTINI AB ILLUSTRISSIMO DOMINO NICOLAO CONTARENO PRAESIDE
SALUBRI AC PERENNI AQUA MIRIFICE IMBUTUS. ODE VICESIMA SEXTA

03_26 v.1 O fontes gemini praecipue urbium
2 fori tam celebris nomine Julii,
3 nunc vos lumine laeto
4 nunc vos aspicio libens.
5 Exstinctae duplici vos similes faci,
6 ex trunco exanimi, quin tumulo et pares
7 ut maestae ante videbam,
8 quam vobis animam hic Deus.
9 En vobis resonat grata loquacitas,
10 en alte exspuitis flumina limpida,
11 en vobis sentio flare
12 auram prorsus amabilem.
13 Vos Lympha salitis : nos animo arduo
14 pulsamus nebulas, Nicolei inclytum
15 dum aeternis meditamur
16 numen tollere laudibus.

AD AMICUM. ODE VICESIMA SEPTIMA

03_27 v.1 Prognatus ille rustico Benacio
2 doctor, sed utriusque legis nescius,
3 vivitne ? Rapidum in Athesin an furor tulit ?
4 Pellem reliquit antequam se immergeret
5 sodalitati, capitulis inanibus ?
6 Secumve in alta fluminis jecit vada ?
7 Pellem sine ossibus, sine et carne, illius
8 gestamen haud idoneum, nisi innuat
9 ferum, voracem et asperum magis lupo.
10 Recalcusat, Valerinus et Bonfidius,
11 comitesque, coetu ex altero, viri optimi

12 frugalitate quam sua gaudent ? Sua et
 13 se pelle continent et agnoscunt Deum ?
 14 Hic litterati, digni honore et barbito,
 15 non quippe eremum, ut alteri, et palum merent.

IN RECUPERATIONEM MUNITISSIMAE URBIS PANNONIAE
 QUAE VULGO NUNCUPATUR CLAVERINUM. ODE VICESIMA SEPTIMA

03_28 v.1 Fatale claustrum, nec superabile,
 2 quin clava fortis, clavis et Austriae,
 3 (grates agenda sunt Olympo),
 4 ecce sub Austriacos redactum
 5 quis credidisset tam spatio brevi ?
 6 Spem claudicantem quae rota fervida ad
 7 metam reflexit ? Quis deorum
 8 tam subito peperit triumphos ?
 9 Hunc densa nubes praevia militi,
 10 et tantus ardor pectoribus Ducum,
 11 silensque Phoebe quae soporans
 12 excubias vigiles favebat :
 13 fuisse Regem sidereum indicavit.
 14 Bis fulminavit : robur et acriter
 15 mox Christiano proelianti
 16 ingeminat, validum secundans.
 17 Utrimque clamor, clangor et impetus,
 18 passim resultans arma micantia.
 19 Certantur utrimque igne, ferro.
 20 Multi etiam volitant per auras.
 21 Svorzem quis illum dicat idonee
 22 Burgum ? Lopemque, Virlinio addito ?
 23 Strasoldium quis ? Palphiumque
 24 gestaque grandia Fabricurti ?
 25 Nam, ceu in hostem magnanimus leo
 26 fertur, pecusve, cum stimulatio
 27 sese cruentat, barbarorum
 28 sanguine, et horribiles madescent.
 29 Te Musa sistas, non etenim decet
 30 mitem Camenam carmine non truci
 31 cantare pugnas, nec cadentum
 32 funera, purpureosque rivos.

DE HEUCREBRIO, VIROSO ET SAEVISSIMO VIRO. ODE VICESIMA NONA

03_29 v.1 Heu crebrius clamare matrem, heu crebrius
 2 audivit omnis ista maerens civitas,
 3 ea ipsa, mater parturiit dum Heucrebrium,
 4 ob idque nato tale nomen indutum,
 5 enixa quantis protulit doloribus
 6 immane monstrum, Tigride et crudelius,
 7 et Vulpe multo falsius veterrima.
 8 Quid oh, quid oh factus vir hic, de quo loquor,
 9 egit ? Quid et meruit mali hic Heucrebrius ?
 10 Et conjugem atque liberos, nurus quoque
 11 impurus omnes sustulit puros mero,

12 protentiore. Quod pararat Toxius,
 13 quod nec Thyesteae, nec Atreae manus,
 14 admiserit nec impia Absyrtae soror.
 15 Conjectus autem in carcerem invenit modum,
 16 quo ulcisceretur conjugem, natos, nurus :
 17 jugulansque se, cum corpore animam perdidit,
 18 hoc tantum honesti fecit inhonestus prius.

AD CLARISSIMUM VIRUM LAURENTIUM MASSAM. ODE TRICESIMA

O3_30 v.1 Me nulla laurus, nulla alia hac magis
 2 juvat corona, quem mihi Delius
 3 donavit ipsa nocte Apollo
 4 conjugii, thalamisque primis.
 5 En Massa, sponsus, te et recinens lyra
 6 exulto Musis. Carmina percipe
 7 te sic colentis jam libente
 8 aure fave studiisque magnis.
 9 Te fama dudum, Musaque nobilis
 10 nostras ad auras pertulit, et polum
 11 qua attingis ingens, clara virtus ;
 12 nec tamen elicuere cantus.
 13 At nunc movet quis tam subito ? Tuus
 14 Paulinus ille Fabius, et meus,
 15 mihi sororem qui dicavit
 16 connubio stabilem marito.
 17 Circumfluentis te Domina aequoris
 18 miratur unum : pectoris intima
 19 arcana promens, illa credit
 20 cuncta tibi, sibi consulenti.
 21 Arion alter pectine eburneo
 22 Delphinas inter, carmina dividens
 23 vires supremas tu Leonis
 24 aligeri, resonasque facta.
 25 Terram ut jacentem et marmora naufraga,
 26 caelique tractus possidet, aureus
 27 regnator : Astraeam atque Pacem
 28 ut colit, ut fovet, ut tuetur.
 29 Tuae senectae saecula Nestoris
 30 addat benigno numine Juppiter ;
 31 quin rectus incedas, valensque,
 32 dum Veneta urbs sine fine regnat
 33 vide calenti quam mihi, maxima
 34 fervet voluntas, haec tibi pangere :
 35 non me aere frigus, non cubile
 36 nec tenuit nova dulcis uxor.

IN PONTEM REALTUM. ODE TRICESIMA PRIMA

O3_31 v.1 Da Diva gratum Melpomene melos,
 2 nec pauca nostrae carmina barbito.
 3 Realtis sine te nequit
 4 laudes dicere Pontis.
 5 Regale, et altum marmoribus Polo

6 doctum superbis ac adamantinis
7 coementis, superi hoc quis
8 admirantur et imi.
9 Mortalis istum quae potuit manus,
10 suprema quae vis efficere ingeni
11 pontem ? Perpetuus labor
12 est hic, sudor et artis.
13 Sic arcuata suspicitur via
14 cum nox serena est per medium aethera
15 summa ad tecta Jovis deos
16 ducens atque reducens,
17 nec splendet aequae versicoloribus
18 pennis et arcu nuntia maximae
19 Junonis, velut is nitet
20 clara merce decorus.
21 Pulchrae columnae continuant latus
22 utrumque Pontis marmoreae, supra.
23 Intra est ordo duplex domum
24 terno in tramite lato.
25 Quondam fuerunt hae juga montium,
26 graves iniquis, morsque gigantibus.
27 Nunc altae atque humiles tegunt
28 pro quid culmine aheni :
29 hic usque quaque divitiae patent
30 late micantes praetereuntibus.
31 Hic sublime gerit locus
32 rari quicquid in orbe.
33 Pontisne dicam vertice in arduo
34 quadratum et immensum spatium, situm
35 inter pyramides, quibus
36 cedat barbara Memphis ?
37 Num tot silebo Caelitum imagines,
38 Divumque vultus ? Tot decora incluta ?
39 Non te Virgo Deipara,
40 nec te Liliifer ales.
41 Dicamque Marcum, sicque Theodorum
42 sanctos Penates Virginis Adriae.
43 Reginae Pelagi ut suo
44 dant se in Ponte videri,
45 est quantus Atlas sed facili gradu
46 concameratus pendet ab aere
47 subter suspicientibus
48 ipse apparet Olympus,
49 quamvis nec Ursas nec gelidum ferat
50 Plaustum Bootis, astraque cetera,
51 praeter justa Bilancium,
52 magni et signa Leonis.
53 Ferrata Xerxes agmina militum
54 conduxit olim trans mare Ponticum,
55 Europae atque Asiae simul
56 jungens litoris oras.
57 Superque vastum fluminis impetum
58 Rheni profundi Julius acriter
59 armatus acies movens,
60 se transmisit in hostem.
61 Trajani in Istro machina, fornices,

62 pilaeque magnae vix numerabiles,
 63 bellaces Aquilas tulit,
 64 Romanosque maniplos.
 65 Verum, tonantis qui fuit aemulus,
 66 aptabo nostrae non fidibus lyrae,
 67 plectrum me maculem et pius
 68 diris versibus Aures.
 69 Cum Ponte surgat quisque iterum suo,
 70 hac mole visa, quam Domini aequoris,
 71 et terrae auspicis bonis
 72 construxere Potentes :
 73 se quisque dedet, scilicet omnium
 74 vox una clamat : non hominum, est Deum
 75 hic Pons Tergeminus, Deo
 76 Trino, gratus et Uni.
 77 At tu hunc per Arcum nobilis o Leo
 78 cum incedis, altis sub pedibus videns
 79 propugnacula navium
 80 celsas atque Carinas :
 81 divis minorem tergere, quos colis,
 82 quibus dexteris, imperio Regis.
 83 Sic concordia te tibi, ut
 84 Pons Urbem, aurea nectat.

DE MALO PUNICO. ODE TRICESIMA SECUNDA

03_32 v.1 Audite malum et credite posteri
 2 (LACUNE)
 3 sit nominatum ; discite atque
 4 Sperionae suava furta, damnum :
 5 damnum vel ipsi poenaeque ; sed boni
 6 et causa tandem. Me movet Euhius,
 7 Thyrsos et minatur, ni canorae
 8 haec citharae nova verba pangam.
 9 Templum Bimatri religio vetus
 10 erexit oris Hesperiae arduum.
 11 Non tale Thebae dedicarunt
 12 bis puero Semeles creato.
 13 Delubro in illo vis hederæ sacro
 14 quam multa serpens, undique pampinis
 15 uvæ videbantur rubentes
 16 et paries revirebat usque.
 17 Altare magnum stans sine imagine
 18 cratera plenum munere Liberi
 19 auro e rigenti sustinebat
 20 magnifice, e variaque gemma.
 21 Illic potentem Bassareum incolae
 22 Bacchæ colebant, quas Bromii furor
 23 sera per altos nocte lucos
 24 praecipiti exagitare cursu.
 25 Evæ Lyææ Bacchæ pater veni.
 26 Evæ haud morare : nil sine te juvat,
 27 tu solus Evæ Dithyrambe
 28 tristitiam subito repellis.
 29 Sic dum vocabant Ignigenam vagæ,

30 sola ad relictā (nemine conscia
 31 Euanthinum) contendit aram
 32 Speriona et patera recludit.
 33 Ah siste Thyas, nec pigeat, manum.
 34 Nefas moveri, pyxide surripit
 35 illinc rotunda, in qua Unionum
 36 copia erat pretiosa clausa,
 37 vinum sacratum, sacrilega atque abit
 38 fert se ad sodales, vociferans. Adest
 39 Evoe evoe adest ille evoe Agileus,
 40 Nyctileus, Morychus, Thyoneus.
 41 Pila illa pugno atterat se cava,
 42 dura ante Buxus fit modo mollior :
 43 pallore dempto, fulva, rubra.
 44 Vis Elelei haec aperatur intus.
 45 Lucente Luna, pectore turbido
 46 stupet puella, talia dum videt.
 47 Tentasque frustra more sueto,
 48 vas aperit violenter ungue.
 49 Excisa multum, stat series suis,
 50 distincta, sed non candida, cartulis.
 51 Parvoque grano cuique adhaeret,
 52 ceu glacies, rutilans Iacchus.
 53 Primum Pyropos : mox juvenis, quod est,
 54 heu certa, credit, dat lacrimas silens !
 55 Jacitque nuper sic amatos
 56 maesta solo, et trepidans, Lapillos.
 57 Omnes in aedem jam Ogygii simul
 58 laete revertunt, praeter eam : foris
 59 exstat, moranti vox ad aures
 60 ista venit timidas ad aras.
 61 Laesisti acerbe, supplicium lues,
 62 at mite, sparsti quae pavida (...),
 63 dispersa fient, inde spera
 64 auxilium sitis in cubili.

SUPER MORTUUM EIUS UNICUM FILIOLUM LACRYMAE. ODE TRICESIMA TERTIA

03_33 v.1 O vita, ocelle, corculum
 2 animula, spes et unica
 3 parentis adflictissimi :
 4 o sanguis, o venustule
 5 Fabiole mi adempte tam cito :
 6 rides patri etsi mortuus ?
 7 Sine sensibus sic vividus,
 8 sine animula sic blandulus :
 9 non hoc patrem solaberis.

AD LYRAM. ODE TRICESIMA QUARTA

03_34 v.1 Lyra tam fessa sile et desine tandem
 2 modulando meditari, quae Heliconis antris
 3 neque in oris, neque Pindi sonuere antea in
 4 tremulum ac dulce melos non decet illus

5 lyra nos amplius, etsi juvenes, ob
 6 vario heus animi, sic laceri, sic miseri astus.
 7 Igitur tu mea pende hac lyra lauro
 8 miserans me mageque : ipsus Orphea ratem
 9 sua quondam lyra tunc, cum cecidit verbere crebro.

AD MALEDICUM. ODE TRICESIMA QUINTA

03_35 v.1 Omnia quae ad plectrum cecini, dictavit Apollo.
 2 Si qua est, dei est licentia.
 3 Omnia sunt igitur Phoebi, mordere caveto,
 4 fias novusne Marsyas.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII LIBER ODARUM QUARTUS
 PERILLUSTRI DOMINO ERASMO VALVASONIO

AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM DOMINUM ALBERTUM VALERIUM,
 EPISCOPUM FAMAGUSTAE ET COADIUTOREM VERONAE. ODE PRIMA

04_1 v.1 Convexa caeli dum laquearia
 2 aurata stellis trans liquidum (...)
 3 Lunaeque nocturnos labores
 4 mente stupens, opera alta miror :
 5 timore sancto concutior tremens,
 6 rerumque tantarum ille opifex Deus
 7 quid sit, laboro scire, quantum id
 8 mens agitans spatiatur alte :
 9 supra illum Olympi circuitum ultimum,
 10 Sphaeram et Supremam, materia procul,
 11 infraque multum, longe et omni
 12 orbe loco, atque die, atque nocte.
 13 Licetne dicam ? Quod fuit antea,
 14 quam mundus et quae continet ambiens :
 15 quod splendet in te te usque in ipso
 16 o Valeri, magis extra caelum.
 17 Sed tu Adrianum gloria principum
 18 divine princeps, praesidium et (ducem)
 19 Ecclesiae, mi vellis aurem,
 20 maxima ne resonem ista parvus.

AD VERONAM. ODE SECUNDA

O4_2 v.1 Talem esse quis putaverit
 2 Verona te, ni viderit ?
 3 Quis protinus te non amat,
 4 et patriam non eligit ?
 5 Amoena praeter ceteras
 6 urbes, et antiquissima,
 7 puro salubris aere,
 8 cunctis abundans artibus,
 9 scatensque rebus omnibus,
 10 nec non decoratissima
 11 viis, foris, palatiis,
 12 templis, theatris, arcubus,
 13 thermis lacuque et flumine,
 14 armis corusca et literis,
 15 viris et inclytissima,
 16 munimine et fortissima,
 17 qua nuda splendet Veritas,
 18 Fidesque et vera caritas,
 19 et Aequitas et Gratiae,
 20 consortiumque Caelitum :
 21 es una vere ? At nomina
 22 mutare tempus est tua.
 23 Romana jamque suscipe,
 24 et Valerona personas
 25 antistite hoc sanctissimo.

IN NUPTIAS FANTINI ET IRENES EX ILLIUS D. D. SPILIMB. ODE TERTIA

O4_3 v.1 Collis in alto vertice
 v.2 usque virentis Delphica
 v.3 arbore, praesignis rosa,
 v.4 et foliis Deum matri sacris,
 v.5 Juliaci, o Castrum Fori
 v.6 ad Tiliaventi vada
 v.7 limpidioris fluminum
 v.8 Italiae, viris clarissimum.
 v.9 Nomine Spilimbergum, ut fluis
 v.10 divitiis, ac optime
 v.11 his frueris : sic diffluas
 v.12 laetitiae tibi gaudens nova
 v.13 en modo Fantinus tui,
 v.14 ac patriae magnum decus,
 v.15 tam similis Patri, quam avo,
 v.16 et reliquis suis majoribus,
 v.17 postulat Irenen sibi,
 v.18 quae specie vincit deas,
 v.19 aemula Matris nobilis,
 v.20 progenita Henrico illustri patre,
 v.21 hos moduler quo carmine ?
 v.22 Hos resonem qua barbito ?
 v.23 Ast Hymenaeo do lyram.
 v.24 Hymen amantibus vult dicere

v.25 Urania natus loquor
 v.26 connubii vobis Deus.
 v.27 Praepropero huc veni gradu.
 v.28 Sit mora nulla vestris nuptiis
 v.29 sedibus altis aetheris
 v.30 concilium laudat Jovis,
 v.31 prorsus et illas Juppiter.
 v.32 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.33 Vociferarunt Caelites
 v.34 usto videntes pectore,
 v.35 O Hymenaeae Hymen adi.
 v.36 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.37 Aurea quae vincla affero,
 v.38 atque jugum istum gemmeum,
 v.39 servitium dulce indicant.
 v.40 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.41 Nupta, maritus, filius,
 v.42 tres numero, unum scilicet :
 v.43 plus aliis sese juvant.
 v.44 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.45 Aurea, nostro munere,
 v.46 saecla subibunt ferrea
 v.47 ob sobolem vestram auream.
 v.48 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.49 Obsequium, Hymen, mutuuum,
 v.50 obsequium, Hymen, liberum :
 v.51 imperio nil discrepat.
 v.52 Sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.53 Jam ligo, jungo arctissime
 v.54 unanimes vos, ut cito,
 v.55 progeniem detis parem
 v.56 sit mora nulla vestris nuptiis.
 v.57 Vivite laeti sumite,
 v.58 omnia laeti sumite
 v.59 ad thalamum quae pertinent.
 v.60 Est mora dempta vestris nuptiis.

DE DEO. ODE QUARTA

O4_4 v.1 Aeternus, infinitus, absque corpore,
 2 rerum creator omnium
 3 Deus, Deus, quid est ? Quod est supra ultimum,
 4 circumque Caelum altissimum,
 5 verum quid illud ? Terra non neque Aqua quid,
 6 neque Aer Ignisve, aut vapor,
 7 nec quicquam ab his. Quid ergo ? Vis purissima,
 8 occulta, simplicissima.
 9 Non ne est ubique ? Rebus est in omnibus
 10 Mundi extra et intra machinam.
 11 Magnum nefas mortalibus, nefas sacrum
 12 velle ire supra sidera.
 13 Sed cogitare et haec mihi loqui invicem
 14 cogor stupore maximo.

IN OBITUM UNICAE SUAE FILIOLAE. ODE QUINTA

O4_5 v.1 Virgungularum maestula
 2 quo non cohors haec se movet
 3 cum flosculis, dans lacrimulas ;
 4 tollensque tristes voculas :
 5 Quo tenditis ? Quia occidit ?
 6 Vestram domum nos flebilem
 7 imus, comes tam blandula
 8 venustula, et jocundula
 9 quae erat, Lucretioliola,
 10 est lucis aura nudula :
 11 imus corollam texere
 12 his ultimis munusculis
 13 heu nuntium misellulum
 14 misellulo paterculo
 15 foris reverenti domum,
 16 suam evolasse hinc animulam :
 17 laudabiles puellulae
 18 praeite, odores nescite
 19 meae Lucretioliolae
 20 non parvulae, sed maximae,
 21 cum maximus sit hic dolor,
 22 ea usque flenda filia.

IN OBITUM PERILLUSTRISSIMI D. ERASMO VALVASONI. ODE SEXTA

O4_6 v.1 Plenus funere quo feror ?
 2 Plenum morte nova quo atrox,
 3 et tristis me agitat furor ?
 4 Insanire volo, et mori
 5 in luctu atque doloribus,
 6 heu ille, heu, patriae pater,
 7 nostrum praesidium et decus,
 8 vates inclytus occidit.
 9 Ille Erasmus, ego, sub hoc
 10 vasto et marmore, proh dolor.
 11 Vivo parce lapis mihi.
 12 Vivo et sentio mortuus.
 13 Est in me pro anima dolor
 14 amisi, heu, capitis mei.
 15 Hoc sum sensibilis, sine
 16 sed nunc sum capite, heu, meo.
 17 Sed nunc sum nihil,
 18 praeter tristitiam feram.

AD BEATISSIMAM MATREM SEMPER VIRGINEM. ODE SEPTIMA

O4_7 v.1 Axis stelliferi decus,
 2 sidus propitium mari,
 3 vagis Regula Navitis :
 4 jactatae et laceratae meae
 5 hoc caeco in pelago rati
 6 fulge, nubila dissipans,

7 ventorum et rabiem feram.
8 Quaeso hoc sollicita prece
9 per solis radium tui
10 conceptum meritissimo.